



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

XIII. De invocatione sancti nominis Iesv, & beatæ Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

tuus sine plumis, in memoriam sanctæ nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quasi angustum & pauperculum præsepe, virtutibus plenum; in quo puer Jesus vagiebat in cunabulis, pannis involutus, modico fœno pro serico pallio tectus, parvoque lacte Matris Virginis refectus.

respuen-
da exem-
plo Chri-
sti in præ-
sepio,
Cruce &
sepul-
chro po-
siti.

Sit duritia & vilitas culcitrae tuæ, recordatio quædam duri & lapidei sepulchri Domini nostri Jesu Christi pro te crucifixi & vere mortui, & in corde terræ sepulti, ac grandi lapide clausi.

Hic ergo in pace Christi quiesce, omnium oblitus quæ sunt in mundo; omnia reputans vilia & pro nihilo, quæ magna videntur & jucunda, ut cum eo resurgas nunc in virtutibus & gratia, & in novissimo die cum Electis in gloria sempiterna. Amen.

CAP. XIII. *De invocatione
sancti nominis Iesu, & bea-
tae Mariæ Virginis
matris ejus.*

Dirige Domine Deus meus, *Psal. 50.*
in conspectu tuo viam meam.
Pp Viæ

Via tua Domine Jesu Christe, via pulchrae, via mundae & securae, ad ambulandum in eis recte & perfecte. Et omnes semitae tuae pacificae & sanctae, ad perducendum omnes fideles tuos & humiles corde, in regnum tuum caeleste.

Iesus &
Maria
semper in
memoria.

Psal. 16.

Ubicumque ergo pergis, ambulas, stas, & resides, invoca Jesum & Mariam piam Matrem eius; & hunc sanctum versiculum libenter pro conductu viae lege: *Dirige Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.*

Deinde consimiliter istum adde: *Perfice, pie Jesu, gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, ad videndum vana, & loquendum otiosa, animae meae nociva.*

2. Post haec etiam, hunc dulcem versiculum pro viatico ciborum assume, & quasi baculum in manu firmiter tene, & saepe orans devote lege:

Oratio
brevis &
nervosa
ad Iesum
& Mariam.

Iesus & Maria, sint mecum semper in via, in omni loco, & in omni tempore, pro bona custodia: ne forte per de via errem.

di

dispergar per multa phantasmata intus & extra.

Hæc sancta oratio, *Iesus & Maria*, brevis est ad legendum, levis ad portandum, facilis ad tenendum, dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum, fidelis ad custodiendum, socialis ad ambulandum, delectabilis ad recreandum, amicabilis ad consolandum, potens ad adjuvandum, prudens ad perducendum recto itinere omnem pauperem peregrinum & seculi contemptorem, ad vitam æternam.

Hæc sancta oratio habet secum meliores comites & potentiores milites, præ omnibus regibus & principibus mundi, & altiores sanctos, præ omnibus sanctis in cœlo & in terra.

Hæc sancta oratio trahit ad se in fervore spiritus totam cœlestem curiam, quæ sequitur cum omni reverentia Dominum suum Jesum Christum, & Dominam suam sanctam Mariam, Matrem Jesu Benedictam, omni laude dignissimam, ab omnibus honorandam.

P p a

Qui

Encomia
ejusdem.

Optimi
comites
in hujus
vitæ via
Iesus &
Maria.

Qui illos pro sociis secum habet in via hujus vitæ, etiam pios patronos inveniet mortis tempore. Noli jam ipsos deserere, si cupis cum Jesu & Maria semper vivere & gaudere.

Bene ergo & secure ambulat, qui Jesum & Mariam in corde portat, ore sæpè nominat, labiis benedicit, manibus plaudit, pedibus tripudiat, voce clamat, corde jubilat, oculis plorat, vultu suspirat, osculis placat, brachiis amplectitur, & flexis genibus adorat.

3. Beatus, qui *Iesum & Mariam* sedulo invocat, devote salutat; amorese commemorat, eximie honorat, lætissime collaudat, altissime glorificat, ardentissime amat, suavissime eructat, jucundissime celebrat & cantat.

O quàm dulcis est *Iesus*, & quàm dulcis sancta *Maria*, dilecta Mater ejus! Beatus peregrinus, qui in omni loco & tempore exilii sui in corpore, meminit patriæ cœlestis, ubi *Iesus & Maria* gaudent pariter, cum omni-
bus

bus Angelis & Sanctis suis in maxima lætitia & æterna gloria.

Beatus peregrinus, qui non quærit mansionem in mundo, sed cupit dissolvi & esse cum Christo in cœlis.

Beatus pauper & mendicus, qui quotidie transit pro pane cœli; & donec recipiat unam micam, non cessat supplicare humiliter ante Dei mensam.

Beatus qui vocatur ad cœnam Agni, & donec perveniat ad convivium supernum, accipit ejus sacramentum.

4. Quoties enim aliquis devote communicat, aut sacerdos ad honorem Dei reverenter & devote celebrat, toties cum benedicto Jesu & benedicta Matre ejus spiritualiter manducat & bibit.

Qui devote communicat, cum Jesu & Maria manducat.

Iste est discipulus Jesu, capellanus beatæ Mariæ Virginis, socius Angelorum, concivis Apostolorum, domesticus Dei, cognatus Sanctorum, amicus cœli.

Hic turbas fugit, fabulas vitat, verba Jesu cogitat, & cor suum cum cæteris sensibus suis

solicite custodit ; ne Jesum, & Mariam, & omnes Sanctos offendat.

Psal. 23.

Hic accipiet benedictionem & misericordiam à Domino Jesu salutari suo ; & quàm cito ad eum clamaverit, exaudiet eum de cælo sancto suo, in quocumque loco fuerit & periculo.

Ioan. 6.

Nam cum discipuli in mari navigarent, & præ timore submergendi Jesum invocarent, statim ipse Jesus adfuit, & dixit: *Quid timidi estis? Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere.*

Vox enim Jesu, vox dulcis ad consolandum, fortis ad protegendum, jucunda ad lætificandum, benigna ad indulgendum, gratiosa ad tribuendum vitam æternam.

CAP. XIV. *De forti certamine
contra vitia, per exempla
Sanctorum.*

Psal. 30.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.

Sanctorum e-

Sicut per passionem & crucem Jesu & sanctorum Martyrum

pæ-